

PATRIMONIUM S. PETRI.

se. Viterbii castri meminit Anastasius, qui circa annum Domini 1000 vixit sub Ludovico II Imperatore, in vita Zachariæ Papæ, & item Viterbiensis civitatis in vita Hadriani Papæ. Annus Viterbium dictum vult, quasi *Vei Verbum*, id est, *Curule Terbum*. Aliis apud Annium, tanquam *Vita heroum*, *Vis trium urbium*, *Vita urbium*, *Vita herbidum*, *Vita inermium*, *Vis thermarum*. Rhenano Viterbium, quasi *Wit Erbum* Germanico nomine. Situm est in radice montis Cymini longi & præcipitis, loco plano & irriguo, lapide quadrato ædificata; factionibus Columensium & Vrsinorum valde agitata, turribus plena. Fontes in publico duos habet. Vnum Germanico more factum, quasi castellum aquæ per canales ductæ, *wie ein Rohrstafe*. Abundat vino, frugibus & fluminibus, (*uti Egehido, Rivo obscuro, Rivo Vrcerio, Alcione, Rosseno, Rivo Atlao, Albiano, Vessano, Catenace, Vejaque*) fontibus tam medicatis quam dulcibus, inter quos sunt aquæ Cajæ, ab antiquis scriptoribus laudatæ. Multa hic leguntur epigrammata, inter cætera duo notabilia. Vnum de M. Tullio Cicerone C. Iulii Cæsaris decretum, alterum Desiderii Longobardorum Regis editum. Sed vereor, ne illud Tullianum confictum sit, ut de patriæ suæ origine, omnique adeo Italia fabulosa commentus est Annus Viterbiensis monachus, qui & Berofum & ejus farinæ scriptores subditios pro veris evulgans, multos in eundem traxit errorem. Desiderii editum ita se habet:

Edictum
Desiderii
Regis
Langbar-
dorum.

Revocamus Statuta Regis Astulphi contra Vetulones edita, ut lacus non Tyrensius, sed Vetulonus sit, qui lacus magnus Italia dictus est; qui eorum ager prius est Italia dicta, ab Ibi sede Itali, & ut sua Longoli, non Longobardolam, sed cognomine sui Ampliatoris Tirrheni Terbum vocent, & sub uno muro cingant tria oppida, Longolam, Vetuloniam, & Tirrheniam, Vulturam dictam Etruriam, totamque urbem nostra adjectione Viterbum pronunciant, ut Rhoda & civitas Balneoregium dici iustissimum. Permittimus pecuniis inprimi FAUL, sed amoveri Herculem, & poni S. Laurentium eorum patronum, sicut Roma & Bononia. Iubemus quoque reparari Cormentam, Dardanum, Astium, Faranium, Cormitum & Tuscanellum. Nos enim non sumus Tuscia destructores, ut nos apud Gallos accusat Hadrianus Papa. Nam ædificavimus à fundamentis, vobis quidem Voltisphrenis, Calnellum, Vicum Orchianum, Balnearia, Barbaranum, & Gariophilum: Sentinatibus autem Aufedonias & Rodacofanum: Volatenis Rodocomalum: Lunæ Sergianum & Petram Sanctam, olim Fanum Feroniæ: Phocensibus SS^m Geminianum & Miniatem: Iesulanis opidum, in quo vagos sparsos Arinianos & palantes Flumentinos collegimus rursus, plures antiquas nobiles urbes ampliavimus, & muris cinximus, ut nunc agimus circa Lucam, Pistorium, Aretium, Orobium, Etruriam nunc Viterbum; cujus nomen, aut à nobis constituta decreta si quis violaverit, aut capite puniatur, aut laqueo stranguletur. Hoc itaque non est Etruriam destruere, ut nos arguit Hadrianus, qui pacem ultro à nobis oblatam respuit. Quare tibi Grimoalde, Præfecte Viterbiensis, præcipimus, ut quamdiu pax dubia perseverat, jubeas omnes Tuscia

milites paratos esse in armis, & commeatus ac stipendia sine avaritia in promptu fac habeas; ut non solum hostibus occurrere, sed illos invadere possis, cives non gravabis novis exactionibus.

Episcopum Viterbo primus dedit Cælestinus III P. M. teste Platina in ejus vita. Orti hac urbe Petrus Antonius Episcopus Signanus: Ioannes Annus sacri Palatii magister, Facius Sanctior, Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, aliique. Principatu urbis diu potiti leguntur *Vici*, donec ab Ægidio Carila, Cardinale & legato Romanæ Ecclesiæ, cujus tum in Gallia sedes erat, pulsati. Eo tamen defuncto rursus ad Imperium venerunt. *Vici* postea successerunt *Gatti*, à Magancessis, ope Vrsinorum, aliquoties ejeti, sed à Columnis iterum restituti; quorum factionibus & seditionibus urbs adeo debilitata, adeoque flammis ferroque vastata, ut magna ex parte ruinis deformata nunc jaceat. Sæpe hic ad longum tempus confedere Papæ Romani, ut hic fati cesserint, Clemens quartus, Adrianus quintus, Ioannes vigesimus secundus, qui hic conventus suos & conclave habuerunt.

Imperium
Majorum.

Viterbo pass. MXV vestigia & reliquiæ cernuntur urbis *Tarquiniæ*, quas hodie incolæ *Tarquene* appellant. Urbs plurali numero Livio, Frontino, Iustino, Itinerariisque antiquis *Tarquini* vocatur. At Straboni ac Stephano est singulari numero feminini generis ἡ Ταρκυνία, *Tarquiniæ*. Oppidani inde dicuntur veteribus *Tarquinienses*. Conditorum urbis Strabo *Tarconem* facit, præfectum Tyrreniæ, à quo *Tarquiniæ* urbs nomen habet. Qui *Tarcon* idem esse videtur, qui *Tages* Etruscis dictus est, quem, quod à pueris saperet, canum natum fabulantur. Putat Cluverius, hunc *Tagam* nullum alium fuisse, quam primum hominem *Adamum*, qui non haruspiciæ, uti fabulantur quidam, sed omnis divini cultus & sacrorum rituum disciplinam, quam ab ipso Deo acceperat, primus inter mortales docuit filios nepotesque suos. Hunc vero in suo quamque gentem solo terrâ editum credidisse, aliisque alios eum nominibus appellavisse. Pompejus Trogus jam à *Theffalis* & *Spinambris* Græcis conditam scribit. Inter XII Etruriæ urbes fuit, & quidem antiquissima, quippe quæ multis annis ante Trojanum bellum condita. Nam circa annum à condito orbe cō cō ccccxxxvii, ante natum Iesum cō lxxiii, Pelasgos in has Italiæ oras fuisse delatos probat idem Cluverius lib. 3 Ital. antiq. cap. 1, licet Virgilius *Æneæ* rebus post excisam etiam Trojanam poëtica licentia *Tarconem* admiscuerit. Cæterum ab hoc primo conditore *Tarcone* sive *Tarchone*, oppidum ab initio Græcis hominibus dictum fuit *Ταρκυνία*, *Ταρχωνία*, *Ταρχώνιον*, & *Ταρχώνιον*. Magna atque opulenta fuit urbs, quum inde L. *Tarquinius Priscus*, ante *Lucumon* dictus, Romam migraret, ubi postea quintus Romanorum factus est Rex. Crevisse putatur ex ejus ruinis *Cornetum*. Condidit in ea urbe domum splendidissimam *Demaratus Corinthius*,
uti

Tarquiniæ
vestigia.